



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Quæstio Prima. An per intentionem contrahentium ratio Sacramenti
separari possit à contractu Matrimonij?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059



§. II.

De Intentione, & fine, quem contra-
hentes habere debent in Matrimonio.

QUÆSTIO PRIMA.

An per intentionem contrahentium ratio Sacramen-
ti separari possit à contractu Matrimonij?

C A S U S

Negantium, Matrimonium esse Sacramentum.

Augerius Vir Catholicus Pandulfo, & Hortensia in hæresi Lutherana natis, & educatis, nuptias cras celebraturis fortunatum precatur Matrimonium, & copiosam hujus Sacramenti gratiam, & benedictionem. Hi grates quidem pro isthac adprecatione agunt, malè tamen eos habet, quòd Matrimonium appellaverit Sacramentum, cùm istud doctrinæ Lutheri adversetur, atque ideo apertè protestantur, nihil se velle habere negotij cum Papi- stico Sacramento in meditato suo Matrimonio.

Q. An hi, vel alij quicunque contrahere possint verum Matrimonium, quòd non sit Sacramentum?

D d

SYNOPSIS,

SYNOPSIS.

1. *Habens intentionem conficiendi, & recipiendi Sacramentum, sed non celebrandi contractum, nihil efficit.*
2. *Catholici Matrimonium contrahentes, ordinariè volunt efficere, & recipere Sacramentum; imò etiam Acatholici, etsi contrarium protestentur.*
3. *Separantes rationem Sacramenti à contractu, seu intendentes contrahere Matrimonium, quin velint efficere, & suscipere, Sacramentum, illicitè agunt, & mortaliter peccant.*
4. *An verò tale Matrimonium validum sit in ratione contractus, duplex est Sententia. Proponitur negativa.*
5. *Affirmativa est probabilior.*
6. *Respondetur ad argumenta contrariæ opinionis.*

I.  Onnectitur hic casus cum præcedente; cum enim in illo ostensum sit, Ministros Sacramenti Matrimonij esse ipsosmet contrahentes, ad omnia verò Sacramenta conficienda, ut habetur ex definitione Eugenij IV. necessariò requiri intentionem Ministri, dubium hujus nostri casus in eo versatur, an, si contrahentes non habeant intentionem conficiendi, aut recipiendi Sacramentum, velint tamen, atque in-

tendant contrahere Matrimonium, hoc saltem valeat in ratione contractus, licet ex defectu intentionis non sit Sacramentum, adeoque an separari possit ratio Sacramenti à contractu Matrimonij?

Ad controversiam hanc decidendam præmitto tanquam certum. I. Confici, aut recipi non posse Sacramentum Matrimonij absque eo, quòd fiat etiam verus, ac legitimus contractus, consequenter si quis intenderet quidem conficere Sacramentum, sed nollet facere contractum, is nihil prorsus efficeret, nullumque foret

foret hoc Matrimonium, sive contractum spectes, sive Sacramentum. Ratio manifesta est, quia intentio illa non faciendi contractum, destruit materiam, & formam Sacramenti, quæ in ipso contractu consistunt, ut vidimus in casu præcedente: at sine materia, & forma Sacramentum dari nequit, nec potest existere Matrimonium, quod contractus non sit: ergo habens intentionem faciendi quidem Sacramentum, sed nolens celebrare contractum, omnino nihil efficit, & non solum non contrahit Matrimonium, sed neque conficit, aut recipit Sacramentum propter defectum materiæ, & formæ, quæ in contractu consistunt.

2. Certum est 1. Catholicos, dum Matrimonium contrahunt, ordinariè non velle præcisè celebrare contractum, sed velle simul suscipere Sacramentum, adeoque unum ab altero non separare; nam optimè norunt ex Catechismo, quodd Matrimonium sit Sacramentum, monenturque etiam à Parochis, ut ad dignè, & fructuosè recipiendum hoc Sacramentum, præmissa peccatorum confessione se præparent, ac disponant: imò ipsos quoque A Catholicos plerunque ferè, dum Matrimonium contrahunt, velle recipere Sacramentum, idque re ipsa percipere, si aliud impedimentum non interveniat, optimè docent Laym. 11, 10. p. 2. c. 2, v. 2. Gobat 11, 9.

n. 234. & Sporer. c. I. de Matr. Sect. 4. §. 3. n. 356. conformiter ad ea, quæ tradit Perez *disp. 19 Sect. 10. n. 3.* quia error privatus, quo quis existimat, Matrimonium non esse Sacramentum, atque ideo intendit non conficere Sacramentum, non obstat Sacramento, dummodo is habeat intentionem generalem faciendi eo modo, quo Christus instituit, vel quo modo voluit, ut sui fideles contraherent, aut ordinariè contrahere solent veri fideles, idque in vera Ecclesia fieri consuevit: atqui certum est, plerosque hæreticos, Lutheranos, Calvinistas, & Zwinglianos hanc generalem intentionem habere, quemadmodum id nos experientia docet, quando illos interrogamus, qui ex ejusmodi Sectis ad fidem nostram Catholicam convertuntur: ergo re ipsa generali hac intentione, quæ privata eorum erroneæ intentioni prævalet, non separant rationem Sacramenti, sed verum Sacramentum conficiunt, & suscipiunt, altera verò particularis intentio, quæ propriè non ex affectu, & voluntate non faciendi Sacramentum procedit, sed potius ex errore, quia decepti à suis præconibus, & falsæ sectæ buccinatoribus putarunt, Matrimonium re ipsa nullum esse Sacramentum, nihil officit: interim non ibo inficias, reperiri quandoque inter Sectarios, & fortè etiam inter Catholicos tantæ malitiæ homines, qui, etsi agnoscant, Matrimonium

trimonium esse Sacramentum, velint nihilominus ita contrahere, ut Sacramentum nolint percipere, sed unum ab altero, quantum in se est, separare, quo casu non efficient, neque recipient Sacramentum, ut docent Perez *l. c.* Suarez *10. 3. in 3. p. disp. 13. Sect. 2.* quia deest intentio necessaria: Sacramenti autem effectio ab intentione Ministri dependet; atque in hoc sita est controversia præsentis casus, videlicet, an, si qui fideles ita contrahant, ut nolint efficere, vel recipere Sacramentum, faciant saltem Matrimonium validum in ratione contractus? de quo paulò post. Interea

3. Certum est 3. Illicitam esse ejusmodi separationem Sacramenti à ratione contractus Matrimonialis, & peccaturos mortaliter baptizatos, si velint contrahere Matrimonium cum intentione celebrandi contractum, nolint verò efficere Sacramentum, aut facere id, quod facit Ecclesia. Perez *l. c. n. 18.* Dicastillo *disp. 2 de Matr. dub. 19. n. 191.* Hurtad. *disp. 3 de Matr. difficult. 19. n. 70.* Gobat, Sporer. &c. Ratio est 1. quia ejusmodi separatio opponitur in re gravi communi usui, & consuetudini Ecclesiæ, quæ videtur habere rationem legis oppositum prohibentis, quæ cum ad hunc contractum in suis fidelibus requirat statum gratiæ, hoc utique non alia de causa exigit, quàm quia non vult eos aliter contrahere, nisi cum

effectione, & perceptione Sacramenti. 2. Opponitur institutioni Christi, qui elevando contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti sine dubio sic voluit à suis fidelibus contrahi Matrimonium, ut conjugati sibi specialiter consecrarentur per gratiam, & Sacramenti susceptionem. 3. Est Sacrilegium contra reverentiam Sacramento debitam, velle contractum celebrare sine ratione Sacramenti, quia sic irritatur, & falsificatur actio Sacramentalis à Christo instituta, sicut si quis infantem abluens cum serâ prolatione formæ baptismalis vellet baptizare, sed non conficere Sacramentum, juxta omnes talis peccaret mortaliter, quia irritaret actionem Sacramentalem, ex voluntate Christi ordinatam ad Sacramentum. Denique quis non videt, quàm sit enormis inordinatio, velle contrahere Matrimonium, & nolle recipere Sacramentum, ejusque gratiam ad meliùs ferenda onera Matrimonij? ergo illicita est, & graviter peccaminosa ejusmodi separatio.

4. Modò circa punctum primum difficultatis, an nempe possint fideles, saltem validè, inire Matrimonium, præcisè ut contractum, non verò ut Sacramentum, atque ita rationem Sacramenti à contractu Matrimonij separare, duplex est Sententia. Prima negat, hoc posse fieri, unde juxta Authores istius Sententiæ Matrimonium inter fideles
hac

hac ratione celebratum simpliciter nullum est, nec valet etiam in ratione contractus. Hujus opinionis sunt Sanch. L. 2. disp. 6. Palao disp. 2. de Sponsal. pu. 2. n. 5. Coninck disp. 24. dub. 6. n. 22. Tannerus to. 4. disp. 8 de Matr. q. 2. dub. 3. n. 42. Laym. L. 5. tract. 10. p. 2. c. 2. n. 2. Card. de Lugo de Sacram. Pœnit disp. 14. Sect. 4. n. 42. Illsung tract. 6. disp. 9. n. 37. Petrus Ledesma, & alij: pro qua Sententia etiam citantur Bonacina, & Suarez disp. 13. de Sacramentis supra cit. Sect. 2. sed uterque falsò, nam prior apertè docet oppositum, Suarez verò dicto loco plus non affirmat, quàm separantem rationem Sacramenti à ratione contractus non confecturum Sacramentum, quia deest necessaria intentio; & tum sine ulla decisione addit: *an verò validum esset tale Matrimonium in ratione contractus, alterius est considerationis: neutra igitur pars eum jactare potest tanquam Patro-*

num. Fundamenta primæ hujus Sententiæ sunt. 1. Quia Christus contractum Matrimonij inter baptizatos elevavit ad esse Sacramenti: ergo voluit, ut omnis legitimus contractus Matrimonialis inter baptizatos esset Sacramentum, atque ita connexuit rationem Sacramenti cum contractu, ut ratio contractus à ratione Sacramenti separari nequeat. 2. Concilia Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque ulla

limitatione Matrimonium baptizatorum dixerunt esse Sacramentum, quod verum non esset, si aliqua id non haberent: ergo dari nequit Matrimonium, quod non sit Sacramentum. 3. Si duo hæc possunt separari, sequitur, Matrimonia olim clandestinè contracta non fuisse Sacramentum, quia sic contrahentes ordinariè non intendebant suscipere Sacramentum, imò de Sacramento sæpè nec quidem cogitabant, sed solùm intendebant inire contractum civilem: hoc verò est contra Concilium Tridentinum, quod talia Matrimonia vocat *rata*. Sess. 24. c. 1. de reform. Matr., quo nomine sola Matrimonia dignatur, quæ Sacramentum sunt. 4. In Sacramento Pœnitentiæ, si Sacerdos vellet ut Judex facere judicium de peccatis, non verò Sacramentum remissivum ipsorum, non solùm non faceret Sacramentum, sed neque verum, & validum judicium: ergo pari modo in Matrimonio nolens facere Sacramentum, non solùm istud non efficit, sed neque validum contractum.

5. Prædicta Sententia etsi probabilitatem magnam habeat, cum præsertim pro ea stent tot, tamque graves Doctores, non tamen ita convincit, ut altera non sit censenda probabilior, videlicet, posse inter baptizatos validè celebrari contractum Matrimonij, quin fiat Sacramentum. Ita Valq. to. 2. in 3. p. disp.

138. c. 5. n. 63. *Rebellus L. 2. q. 5. n. 4.* *Basil. Pontius L. I. de Matr. c. 9.* *Dicastillo disp. 2. de Matr. dub. 19. n. 191.* *Hurtad disp. 3. difficult. 19.* *Sporer Theol. Sacramental. p. 4. c. 1. n. 356.* *Perez disp. 19. Sect. 10.* *Gobat Tract. 9. cas. II. n. 229.* *Tambur. tr. 5. de Matr. n. 6.* *Diana p. 3. tr. 4. resol. 255.* *Bonac. q. 2. pu. 5. n. 4.*
 Quando igitur aliquis contrahit sine formali, vel virtuali intentione faciendi Sacramentum, aut faciendi, quod facit Ecclesia, licet hoc Matrimonium Sacramentum non sit, quia in Ministro non adfuit intentio necessaria, sine qua stare nequit Sacramentum, manet nihilominus validum in ratione contractus, ita ut contrahens non possit deinde aliam ducere.

Ratio hujus est, quia ad validitatem Matrimonij in ratione contractus civilis aliud nihil requiritur, quam ut personæ contrahentes sint ad contrahendum habiles, liberè in ipsum consentiant, & consensum hunc suum clarè expriment coram Parocho, & testibus, quæ est solemnitas à Jure requisita, & necessaria post Tridentinum: hæc verò omnia habere possunt contrahentes baptizati, etiam si Matrimonium ut Sacramentum expressè nolint ministrare, nec suscipere: ergo in eo casu celebrabunt validum Matrimonij contractum, non minùs, quam validus est inter non baptizatos, inter quos Sacramentum non est.

Quodd autem ad validitatem, & substantiam contractus Matrimonialis etiam in ratione contractus necessariò debeat adesse intentio eundem celebrandi ut Sacramentum, eò quòd Christus eum elevaverit ad esse Sacramenti, ac consequenter voluerit, ut unum sine altero stare non posset, isque, qui Sacramentum nolle, etiam contractum non efficeret ob inseparabilitatem unius ab altero, id equidem non sufficienter probatur, neque ostenditur illius assertio solidum aliquod fundamentum, tum quia hanc institutionem, ac voluntatem Christi nec exprimunt, vel insinuant Concilia, nec SS. Patres, nec asseverat unanimis DD. Sententia, ut manifestum est ex nostra conclusione, & adductis Authoribus: ergo asseri non debet veluti res indubitata, contractum Matrimonij ita elevatum esse à Christo ad rationem Sacramenti, ut, si Sacramentum non sit, etiam contractus esse nequeat, isque invalidus, ac nullus sit, cum neque ex ullo jure invaliditas ista ostendiqueat, ubi autem Jus non exprimit, contractum Matrimonij esse invalidum, censendum est, esse validum in utroque foro, ut colligere licet ex Joanne XXII. in *Extravag. Antiquæ concertationi. De voto, & voti redempt.*

Confirmatur, quia solæ conditiones contra substantiam Matrimonij irritant hunc contractum, quales

les tantummodo sunt de prole impedienda, adulterando, dissolvendo postea Matrimonio, reliquæ verò, quantumvis turpes, non vitiunt juxta *c. fin. De condit. appof.* cum ergo conditio non contrahendi Sacramentaliter, sive defectus conditionis faciendi Sacramentum, licet turpis sit, non fit de numero illarum trium, fit, ut non fit contra Substantiam Contractus, atque aded non irritet Matrimonium.

Si iterum dicas, irritari Matrimonium ob defectum voluntatis conficiendi Sacramentum per hoc ipsum, quod Christus in lege nova voluerit id esse Sacramentum. Contra est commune proverbium: *gratia non destruit, sed perficit naturam*: Christus igitur non destruxit, vel immutavit contractum Matrimonij, sed eum perfecit, & in natura sua invariaturum elevavit ad dignitatem Sacramenti, hocque, scilicet ut esset signum collativum gratiæ, contractui naturali contingenter advenit: si ergo in lege veteri potuit validè celebrari hic contractus, quin esset Sacramentum, fieri id quoque poterit in lege nova; aliàs in natura sua mutatus esset contractus Matrimonialis, qualis mutatio quod evenit, præsumi, vel asseri non debet, sed probari: manet proinde, quod sicut ablutio, quæ fit per aquam, licet sit elevata à Christo ad statum Sacramenti Baptismatis, non desinit esse ablutio naturalis, & humana ex eo, quod lavans non in-

tendat facere Sacramentum, ita contractus quoque Matrimonij non desinat esse contractus naturalis, & civilis ex eo, quod contrahentes non intendant facere Sacramentum.

6. Nunc ad opposita fundamenta primæ sententiæ respondeo. Ad primum, concesso antecedente, negatur consequentia, quia ex illo antecedente solum sequitur, omnem contractum Matrimonij ex voluntate Christi esse Sacramentum inter baptizatos, si adsint omnia requisita ad Sacramentum, inter quæ est intentio, sicut ex voluntate Christi omnis ablutio, & prolatio verborum Baptismi est Sacramentum, si adsint omnia requisita; si autem hic, vel ibi desit intentio, existet quidem naturalis ablutio, & contractus, non tamen dabitur vel Sacramentum Baptismi, vel Matrimonij.

Ad secundum eodem modo respondeo, Concilium Florentinum, & Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione Matrimonia fidelium vocare Sacramentum, quoties adsunt omnia, quæ requiruntur ad Sacramentum, hoc tamen non probat, quod non possit aliquando non fieri Sacramentum, si desit requisita intentio, ut in priore responsione dictum est de Baptismo, ubi dari potest ablutio, quæ ex defectu intentionis non fit Sacramentum.

Ad 3^{ium}, negatur sequela, quia clandestinè contrahentes habebant saltem intentionem virtuales faciendi

di Sacramentum, quia volebant saltem facere, quod solent facere Christiani, vel Ecclesia, quod satisfacerat ad hoc, ut Sacramentum conficerent, neque enim credibile est, eos malitiosè voluisse privari fructibus, & gratiâ Sacramenti, aut voluisse agere aliquid illicitum, quale hoc esset, cum ex jure nemo præsumatur malus, nisi id constet. Quòd si tamen aliqui clandestinè contrahentes etiam intentione virtuali caruissent, tunc sanè Matrimonium eorum non fuisset Sacramentum.

Ad 4^{um}. concesso antecedente, negatur consequentia, & paritas, quia iudicium illud prout excludens rationem Sacramenti remittentis peccata omnino nullius fructus est, nec prodest ad ullum effectum: igitur à Christo in tantum solummodo est institutum, in quantum est remissivum peccati, & collativum gratiæ, adeoque in quantum est Sacramentum; unde mirum non est, quòd ratio Sacramenti ab eo se-

parari nequeat, cum totus finis hujus iudicij sit, esse Sacramentum, ratioque iudicij, & Sacramenti una simul institutione instituta sint ad eundem effectum: in Matrimonio non ita se res habet, nam in hoc ratio contractus à ratione Sacramenti non dependet, neque hæc duo simul unâ institutione sunt instituta ad eundem effectum, siquidem per unum habetur contractus naturalis Matrimonij, per alterum signum collativum gratiæ: unde separabiles esse possunt in Matrimonio hæc duæ rationes, non item in Sacramento Pœnitentiæ.

Atque ita manet probabilius, posse conjuges absolutè contrahere Matrimonium, quod Sacramentum non sit, idque, licet rarò apud hæreticos quoque eveniat, simpliciter non implicare; unde in casu dubio investigandum est, qualem conjuges, dum contraxerunt, revera intentionem habuerint, cum ab hactora ratio Sacramenti dependeat.

